



Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

VIII. Probst und Capitel des Klosters Spadow bekunden, wie die ihnen von dem Ritter Arnold von Bredow hinterlassenen Einkünfte und Capitalien zu seinem Seelenheil verwandt werden sollen, im Jahre ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54728)

VIII. Probst und Capitel des Klosters Spandow bekunden, wie die ihnen von dem Ritter Arnold von Bredow hinterlassenen Einkünfte und Capitalien zu seinem Seelenheil verwandt werden sollen, im Jahre 1267.

Jacobus prepositus monasterii in zspandow, Margareta priorissa totumque capitulum ibidem omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in domino. Quoniam ea que geruntur in tempore, cum lapsu temporis a mentibus hominum recedere et sic in irritum deuenire consueuerunt, nisi testium uel scripture subsidio confirmantur; Nouerint uniuersi tam presentes quam posteri hanc presentem paginam inspecturi, quod arnoldus miles, dictus de bredow, ex instinctu diuino et ad cultum dei ampliandum et in remedium anime sue et predecessorum suorum, contulit cenobio dominarum in zspandow de redditibus suis III^{or} choros filiginis in Warnow, qui translati sunt de Warnow in Clodow mediante uoluntate marchionum, et XX marcas parati argenti et XV marcas, in quibus ei tenebamur, in extremis propter deum relaxauit. Hanc elemosinam sub hac forma et tali conditione assignauit, ut singulis diebus ferialibus missa pro defunctis debeat dici ad altare sancte crucis, exceptis sextis feriis et sabbatis, in quibus debet dici de sancta cruce et in sabbatis de domina nostra. Insuper inseruit, quod lampas singulis noctibus ante crucem et ante imaginem sancte Marie frequenter ardere debeat, Et ut anniuersarij eius singulis annis a conuentu sollempniter et deuote celebretur Et ipso die anniuersarij sui conuentus laute et bene procuretur. Ut autem hec donatio testamenti et elemosinarum posteris cognita permaneat ac stabilis perseueret, ipsam sigillorum nostrorum appensionibus decreuimus muniendam. Testes sunt Henricus de groben et frater suus arnoldus de grobene et Wegerus miles et quam plures. Acta sunt hec anno domini M^o. CC^o. LXVII^o.

Nach dem Originale des Geh. Staats-Archives.

IX. Die Markgrafen Otto und Albert überlassen dem Kloster zu Spandow die Kirche zu Roskow, im Jahre 1270.

In nomine f. et ind. trin. Otto et Albertus, dei gratia Marchiones brandeburgensis, omnibus in perpetuum. Quoniam ea, que geruntur in tempore cum lapsu temporis etc. (wie in der Urkunde vom Jahre 1267); Nouerint igitur tam presentes quam posteri hanc paginam inspecturi, quod nos instinctu diuino ac deuotarum dominarum monialium in Zpandowe nec non et venerabilis Henrici brandeburgensis Episcopi precibus inclinati, ad cultum dei ampliandum et in remedium animarum nostrarum pariterque nostrorum predecessorum omnium, Ecclesiam in Roscowe iam dictis dominabus in honore beate marie uirginis in subsidium contulimus iure perpetuo possidendam, ut per eam, que mater misericordie, gratiam et misericordiam consequamur, et ab eis nostri pariterque parentum nostrorum memoria perhenniter habeatur. Ut autem nostrum hoc factum siue hec nostra donatio a nullo heredum nostrorum siue successorum possit aliquatenus infirmari, ipsum pagina presenti cum sigillorum nostrorum appensione dignum duximus per-